DE

ARSENICI USU IN MEDICINA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXV. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Franciscus Antoniewicz
POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. RUHDEL, med. et chir. Dr.
A. KIEPERT, med. et chir. Dd.
E. FAULWASSER, med. et chir. Dd.

BEROLINI,
TYPIS B. SCHLESINGER.

EDUARDO PONIŃSKI

COMITI DOMINO WRZESNIAE

NEC NON

THEOPHILO MATECKI

FAUTORIBUS AMICISQUE OMNIBUS QUORUM ANIMUM ERGA ME VERE BENEVOLUM SATIS COGNOVI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Tametsi recentiores medici usum arsenici minus perhorrescere solent, quam priores solebant, tamen hocce remedium nondum eam dignitatem obtinuisse videtur, quam summo jure meretur. Haud alienum igitur videtur, medicos practicos exhortari, ut arsenico quam plurimum utantur et experimentis egregium ejus effectum in variis morborum generibus confirment. Qui persuadere sibi velit, quantum utilitatis arsenicum praestet et quam parum detrimenti afferat, si providentius adhibeatur, effatum Ill. Romberg (Neuralgiedes Quintus) legat animoque perpendat.

HISTORICA QUAEDAM DE ARSENICO.

Multa jam per saecula medici arsenico usi sunt, etenim Aristoteles mentionem fecit Sandaracae nec non Auripigmenti, connubii arsenici et sulfuris. Arsenicum album primi memorarunt Arabes. Jam Hipocrates arsenicum novisse et adhibuisse videtur, nam Hipocratici, Celsus, Dioscorides, Caelius Aurelianus, de ejus usu sermonem faciunt. Medici arabici saepe arsenico sulfurato rubro ad fumigationes utebantur. Exeunte saeculo XIII Theodorus arsenicum externe contra scrophulosin, saeculo sequente Guido de Cauliaco ad efficiendam crustam in hydrocele administravit; Fabricius ab Aquapendente arsenicum aceto mixtum ad tollendas scrophulas et clavos pedum infricari jussit, Hermann (Cynos. mat. med. Argentor. 1726. P. II. p. 82.) idem contra scirrhum praecipue ulceratum exhibuit. Friccius (Paradoxa de venenis Augustae Vindelicor. 1710. p. 20) primus arsenicum interne contra scirrhum praebuisse videtur. Jam sub saeculi XVII finem arsenicum tamquam arcanum remedium nomine guttarum Saliburgensium (ex arsenico albo et opio) contra Intermittentes cum suc-

cessu adhibebatur, pauloque post a medicis contra easdem saluberrimum celebrabatur (Gmellin. app. med. T. I. p. 264). Haud minus laudis arsenicum recentiori tempore in Neurosibus morbisque cutaneis sibi peperit. Praestantissimi de hac re scriptores sunt: Sperling: Diss. de Arsenico. Vitemb. 1681. Meibom: de Arsenico. Helmst. 1729. Kuppermann praes. Büchner: de medic. ex auripigmento praeparatorum praestantissimo usu medico. Hal. 1758. Jacobi: de prudenti Arsenici usu sale alcalino domito interno salutari; in Act. Acad. Erford. T. I. p. Fowler: med. Reports on the effects of Arsenic etc. Lond. 1786. Ackermann: Beitr. z. Geschichte d. inner. Gebr. d. Ar. in Baldinger's Magaz. f. Aerzt. Bd. 2. St. 5. Sulzer: diss. de Arsenici usu medico. Jen. 1796. Desgranges: sur l'usage de l'arsenic dans la médécine interne, — im Journ. génér. de méd. 1807. No. 135. Jäger: diss. de effect. arsen. in varios organismos, nec non de indiciis quibusdam veneficii ab Arsenico illati. Tübing. 1808. übers. in Gehlens Journ. f. d. Chemie Bd. 6. St. 2. No. 11. Harless: de arsenici usu in medicina. Nürnb. 1811. Robertson: diss. de usu et effectu arsenici in corpus human. Edinb. 1812. Marshall: remarks on the arsenic, considerated as a poison and a medicine. Lond. 1817. Prey: de auripigmenti et Sandarachae indole atque usu medico. Ber. 1819. Herschel: de arsenico albo, praecipue de liquore aluminis arsenicoso. Hal. 1821.

Kleinert: de Arsenici virtutib. chemicis, medicis et id investigandi methodis. Jen. 1825.

DE ARSENICI USU MEDICO.

Nullum exstat remedium, quod tam multiplices exserat effectus quam arsenicum, ceterum agendi ratio tam singularis est, ut nullo cum remedio possit comparari. Proinde locus vix satis aptus in materia medica ei potest assignari, quamquam propter diversissimos effectus modo huic modo illi remediorum classi interpositum est. Timiditas, qua medici ejus usum agressi sunt, ab eo pendet, quod propter rariorem administrationem etiam modus, quo, et casus, in quibus adhiberi debeat, parum cogniti sunt. Experientiae, de effectibus ejus passim collectae satis sufficiunt, ut virtutes ejus, quae ad vitae plasticae anomalias quaquaversus spectant, accuratius indagemus, ut formam dosinque individuis casibus respondentem erruamus, ut denique certam adhibendi viam apperiamus, et civitatem bene meritam in medicamentorum apparatu ei tribuamus. Multi quidem arsenici usui obstiterunt et etiamnum obstant, quoniam effectuum intensitas tanta existimatur ut ii temeritatis accusentur, qui reliquis omnibus nondum tentatis inde ab exordio utuntur arsenico. Tanta autem timiditas profanos quidem, non medicos cautos et sinceros decet, etenim nullum fere est remedium, quod imperita manu adhibitum periculi quidquam afferre non possit.

Jam, quod medendi rationi maxime consentaneum

est, mutationes sensibus percipiendas, quas arsenicum in vivum corpus illatum profert, persequamur, indeque praecepta deducamus, ex quibus et vis salutaris et noxia ejus dijudicari debeat.

Doses arsenici parvae certo definitae primum caloris sensum in ventriculo et intestinis, appetentiam adauctam, diuresin aliquanto largiorem et plerumque nonnullas alvi excretiones provocant. Vindices arsenici acerrimi, Harless et Vogt, varia phaenomena actionis vasorum nervorumque majoris, toni fibrorum adaucti, et solidescentiae apparere contendunt. Vogt has arsenici doses longum per tempus continuatas minime veneficium inducere, sed effectus vere roborantes inferre censet, qui aliis quoque remediis tonicis producantur. Mentionem facit observationis, quae docet, equos confectos et exhaustos oblatis parvis arsenici dosibus pabuli desiderium, alacritatem et vires recipere; necnon observationis Jaegeri, qui columbam saepius accepto arsenico majore appetentia, motibus alacrioribus imbui vidit. In Austria superiore agricolae arsenico ad cibos, exempli gratia caseum, condiendos uti dicuntur et rusticum validum ibidem consuetudinem habuisse tradunt quotidie grana duo sumendi (Med. Jahrb. d. östr. Staats. 1822 Bd. I. S. 99.). Doses majores vel nimiae minorum repetitiones inimicam arsenici efficacitatem manifestant. Ciborum appetentia deletur, sitis maxime intenditur, in ventriculo sensus oritur leviter ardens, cum nausea aut vomituritionibus conjunctus, immo interdum cum vomitu; accedunt excretiones alvi

liquidiores, cum dolore acerbo ventriculi et intestinorum, quibus excitatio magna vasorum, sensus languoris, anxietatis, inquietis, porro leves spasmi et sudores frigidi partiales superioris corporis superveniunt. Post horas demum duodecim aut viginti quatuor, haec symptomata sine perspicuis detrimentis evanescunt. Doses permagnae veneficium promtum aut lentum inferrunt, cujus phaenomena tantum gradu a supra dictis differunt.

Effectus memoratos, nominatim virulentos, varia Arsenici praeparata non eodem gradu exserunt. Arsenicum regulinum ipsum haud venenosum esse videtur, Renault enim usque ad drachmas duas cum ferro, Royer cum stanno animalibus impune dedit. Tanta vero est arsenici cum oxygenio affinitas, ut in ventriculo facile oxydari itaque nocere possit. Suboxydum seu arsenicum nigrum admodum virulentum est. Monro (Samml. auserl. Abhandl. z. Gebr. f. prakt. Aerzte. Bd. 25. p. 191.) canem granis duobus interfectum vidit; praecipue detrimentum afferre videtur si acida libera in ventriculo insunt. Acidum arsenicosum seu arsenicum album venenum est maxime deleterium, quo et consulto et fortuito plurima veneficia inducuntur. Acidum arsenicicum secundum experimenta, quae Jaeger in animalibus instituit fere intensius agit quam acidum arsenicosum, id quod experimentum confirmat, cui Otto felem submisit. Gas hydrogenium arsenicosum inspirando animalia occidit, etiamsi ne duodecimum quidem partem aëris atmosphaerici constituit. Connubio cum sulfure arsenici effectus toxici valde hebetan-

tur, attamen secundum experimenta, quae Renault fecit, arsenicum sulfuratum arteficiale grave est venenum, etenim, grana tria-quatuor canes interfecerunt, dum arsenicum sulfuratum naturale magnis dosibus sine effectu venenoso deglutiebatur; Renault canibus ad drachmas duas sine ullis molestiis praebuit.

In corporibus veneficio arsenico occisis haec inveniuntur: fibrarum muscularium irritabilitas promtissime exstinguitur; in variis cutis locis, maxime in ventre, maculae atro-caeruleae apparent, partesque genitales colore viridi, flavo nigro imbuuntur. Putredo celerrime irruit omnesque corporis humores in fermentationem abiisse videntur; intestina praesertim in ichorem foetidum collabuntur. Contra autem partes, quas arsenicum immediate tangit, a putredine defenduntur; pili et ungues decidunt; ex ore spuma profluit; oculi ex orbitis prominent; totum corpus tumescit artusque flaccidi et laxi pendentes levissimo tactu a corpore secedunt; ventriculus et intestina, interdum adeo os inflammatione tentantur. Saepe in variis intestinorum locis sanguinis effusiones, escharae, perforationes, tunica villosa ventriculi quasi destructa et in pultem rubellam mutata reperiuntur. Non semper tamen vestigia inflammationis praegressae et in gangraenam conversae tam perspicua sunt, immo si arsenicum rapidissime interficit, nonnunquam omnis primarum viarum inflammatio deficere dicitur. In pulmonibus raro, in cerebro, hepate, renibus, nunquam anomali aliquid detegitur. In corde secundum plures auctores (Orfila, Smith) fere con-

stanter affectio inflammatoria animadvertitur, praecipue maculae numerosae rubro-purpureae fere nigrae in sinistro ventriculo, quae interdum in substantiam muscularem porriguntur et maculas in cute externa perspicuas aequant; similes maculae in circuitu medullae spinalis, nominatim in regione caudae equinae occurrunt. Quo tardius veneficium successit, eo magis in primis viis induratio et crassities tunicarum deprehunduntur. Apud cadavera, hebdomades aliquot post sepulturam effossa, durities et elasticitas coriacea aut mumiaeformis integumentum abdominis, color fuscus cutis instar ligni mahagoni et metamorphosis panniculi adiposi in substantiam lardosam aut caseosam sese offerebant, id quod antisepticam arsenici virtutem certo comprobat. Phaenomena hucusque exposita, quae arsenicum tam in vivis quam in mortuis produxit, facile nobis persuadent, quam graviter hoc venenum vegetativam vitam offendat. Effectus quidem in loco primae applicationis ingens cernitur, minime autem hoc limitatur, inprimis si mortem infert, non sola vi corrosiva, quam in primas vias exerit, sed etiam eo agit, quod metamorphosin universalem induit. Propterea in corporibus veneficio arsenicoso occisis raro corrosiones et perforationes tunicarum intestinalium inveniuntur, quae si apparent, magis inflammatione, suppuratione, gangraena, quam corrosiva arsenici indole effectae esse videntur. Proinde remediis corrosivis sensu strictiore arsenicum adnumerandum non est et solutiones ejus eandem ob causam intensius agunt quam pulvis. Organis assimilationis

sublimioribus, id est vasis sanguiferis exceptum arsenicum sanguinis plasticitatem destruit, venositatem efficit et universum processum plasticum tam singulariter mutat, ut nisus organicus internus substantiarum animalium certius et rapidius quam ullo alio remedio deleatur. Ex hoc singulari arsenici in sanguinem efficacitate, quae secundum Jaeger tum quoque exsistit, quum sanguis a commercio organico discessit, nec non ex nisu vis vitalis concitato, metamorphosin anomalam compensandi, multa phaenomena possunt explicari, quae arsenicum profert. Huc inprimis pertinent color cutis caerulescens, mira venarum turgescentia, ingens plethora venosa viscerum abdominalium, nimia adipis generatio, opportunitas ad oedematosos tumores, color pallidus aut livescens in veneficio arsenicoso chronico, dyscrasia scorbutica saepe accedens, vasorum et musculorum irritabilitas depressa. Est igitur arsenicum revera medicamentum, quod liquefactioni et colliquationi favet; sin utraque inter vitam finita est, in ejus locum exsiccatio succedit, qua vis arsenici antiseptica, per experientiam comprobata, fortasse etiam ejus facultas nititur, partes semidestructas ab ulteriore corruptela tuendi, summumque gradum metamorphosium quarundam anomalarum corrigendi vel aufferendi. Omnino quidem vis, quae vitam plasticam tantopere offendit, per assimilationis organa etiam ad sensibilitatis et irritabilitatis instrumenta sublimiora transfertur, sed praeterea etiam arsenicum singulari efficacitate in systema nervorum insignitur, quae multo rapidius in-

trat, quam ut a mutationibus chemico-vitalibus arsenico inductis derivari possit. Cognoscitur primum excitatione systematis nervorum, imprimis systematis gangliosi et spinalis, unde digestionis facultas adaucta, secretiones et excretiones longiores, vitae manifestationes exaltatae in organis motus et sensus deduci debent. Haec ipsa arsenici efficacitas dynamica efficit, ut remedium in medicina practica majorem attentionem mereatur.

Arsenici praeparata, quae adhibita sunt vel etiamnum adhibentur.

1. Arsenicum album (Oxydum arsenici album, Acidum arsenicosum, Flores arsenici, Calx arsenicosa, germanice Giftmehl, Hüttenrauch). Jam saeculo octavo Geber hoc praeparatum novit et ad experimenta alchymica adhibuit. Scheele primus connubium arsenici regulini cum hydrogenio esse cognovit. In Anglia a Macculloch et aliis contra Intermittentes praebebatur cum saccharo aut cortice Chinae, cum Chinino, Opio, Conio, pluries per diem nempe grani pars vicesima ad decimam, quae dosis paullatim augebatur; Boudin (Journ. de méd. Juillet 1844.) saepius in febri intermittente granum unum ad tria sine detrimento exhibuit. Oesterlein grana duo vel tria aquae unciis quinque solvi et bis per diem cochlear majus sumi jussit. Schaubert et Horn formam pulveris cum ammonio carbonico, radice gentianae, et radice liquiritiae praetulerunt.

Rcp. Pulv. arsenici-albi alcohol. grj
Ammonii carbonici ℈jj
Rad. Gentian. pulv. ʒj
Rad. liquiritiae pulv. ℈j
Mf. pulv. div. in part. vj
D. S. ante paroxysmum febrilem unus sum. pulv.

2. Solutio arsenicalis Fowleri. Acidum arsenicosum et Kali carbonicum cum aqua decoquuntur post refrigerationem Spiritus angelicae compositus additur. Hujus solutionis drachma una et dimidia secundum pharmacopoeam borussicam (secundum Fowler guttae 160) granum acidi arsenicosi continent. Hoc praeparatum omnium frequentissime adhibetur ad guttas sex-octo (gr. $^1/_{18}$ — $^1/_{12}$ arsenici), bis per diem, quae dosis ad guttas 30—15 (arsenici gr. $^1/_{10}$ — $^1/_6$ augeri potest. Infantibus annum XIV nondum assecutis summum dimidia vel tertia hujus dosis pars praeberi debet. Exhibetur solutio cum Aqua vel vehiculo mucilaginoso.

Romberg solutionis et aquae destillatae partes aequales praescribit et initio guttas V paulatim vero majores doses porrigit.

3. Liquor arsenicalis Pearsonii. Granum unum Natri arsenicosi in aquae destillatae drachma una solvitur. Mitius est praeparatum antecedente, minus autem usitatum, dosis ad guttas x—xx.

4. Solutio ammonii arsenicosi Bietti. Granum unum ammoniaci arsenicosi in aquae destilla-

tae uncia una solvitur; dosis eadem quae liquoris arsenicalis Pearsonii.

5. Ferrum oxydulatum arsenicicum. Carmichael hoc praeparatum interne et externe adhibet contra carcinoma, lupum, elephantiasin similesque morbos cutaneos.

6. Arsenicum jodatum seu joduretum arsenici, cujus doses parvae veneni intensi instar agunt, a Thomson interne contra mammae carcinoma cum fructu porrigebatur, a Biett tantum forma unguenti in morbis cutaneis administratur.

7. Liquor hydrojodatis arsenici et hydrargyri (Donovans liquor). Solutio arsenici jodati et hydrargyri jodati in aqua destillata (drachma una hujus liquoris continere dicitur gr. $1/8$ acidi arsenicosi, gr. $1/4$ hydrargyri exydulati et gr. $3/4$ jodi). Donovanus liquorem interne contra squamosas et tuberculosas cutis affectiones praebuit, nec non Osbrey, Taylor, Graves, Cazenave contra lupum psoriasin, lepram, syphilidem secundariam, ulcera scrophulosa, cariem. Aliquoties per diem guttae XX—XL cum potu mucilaginoso summuntur et dosis ad drachmam unam augetur. Graves in psoriasi drachmam dimidiam pro dosi quater per diem dedit et plures per menses continuavit.

8. Arsenicum sulfuratum jam antiquissimis temporibus a medicis adhibebatur. Hippocratici arsenicum album cum Sandaraca e, Helleboro aliisque remediis inspergere solebant ulceribus pravis, arsenicum

rubrum interne contra hystericas affectiones cum tussi conjunctas dederunt et quidem obolum ejus cum sulfure, amygdalis amaris, vino (Dirbach, d. Arzneimit. d. Hippocrates etc. 1824. p. 256). Dioscorides, Celsus, Caelius Aurelianus, Galenus, virtutes antisepticas et adstringentes tam auripigmenti quam Sandaracae laudant et haec remedia emulsionis forma cum resinis conjuncta contra ulcera pulmonum, asthma et alios pectoris morbos proponunt. Sandaraca praecipue ab arabicis medicis in usum vocabatur, nominatim fumigationes contra dyspnoeam et chronicos catarrhos imperabatur, contra quos morbos veteres populi arsenico fere tamquam domestico remedio utebantur. Haud minus Paracelsus, Gmelin, Harless hoc praeparatum adhibuerunt, recentiori autem tempore usus ejus fere sepositus est. Hegevisch tantum Kiloniensis in febribus intermittentibus auripigmentum tanto cum fructu dedit, ut specificum esse existimet. (Casper. krit. Repert. Bd. 25. p. 474). Praeparatum, quo nunc plurimi utuntur solutio Fowleri est, cujus effectus tam egregii et multiplices sunt, ut summam omnium medicorum attentionem mereatur.

Morbi, in quibus solutio Fowleri praeter alia arsenici praeparata, cum fructu adhibetur.

1. Febres intermittentes. Febrifugam arsenici vim Lemery et Wepfer primi cognovisse videntur. Sub finem sacculi XVII, ut supra adnotavi, nomine guttarum antifebrilium Salisburgensium, ex ar-

senico et opio compositarum, praescribebatur. Historiam usus ejus contra febres intermittentes Trnka de Krzowitz (Hist. febr. interm. V. 1. p. 397) et Harless (Abhandl. d. phys. med. societ. z. Erlang. Bd. 1. No. 9. p. 176.) scripserunt.

Laudatores arsenici principes fuerunt: Slerogt, Keil, Heuermann, Jacobi, Fowler, William, Tanner, Horn, Luccateli, Brera. Inprimis tempore, quo terra continens a commeatu transmaritimo prohibebatur, arsenicum in Europa magnam famam sibi peperit; quum enim ubique fere intermittentes epidemicae grassarentur, China autem non solum magni pretii, sed plerumque etiam adulterata esset, in memoriam revocabatur arsenicum ejusque usus divulgabatur. Huc accessit, quod Horn, Gebel, Seiler, Rehfeld, Heim, Romberg sexcentis in casibus saluberrimam ejus efficacitatem experti essent.

2. Diathesis carcinomatosa. Jam vetustissimi medici, ut arsenici historia docet, hoc remedio contra dictum morbum teterrimum usi sunt et passim etiamnum utuntur, attamen sine perspicuis commodis, quanquam Chopart et Dessault (Traité de malad. chirurg. etc. 1779), saepius prosperum eventum observarunt. Serius Rust cum successu administravit arsenicum et remedium non minus specificum esse dicit scirrhi, quam hydrargirum syphilidis contendit. Tum praecipue indicatum esse putat, quum scirrhus morbi localis terminos jam excesserit. Dedit quotidie gr. $^1/_{24}$, circiter granum unum in aquae destillatae libra una

solutum, initio pro dosi cochlear majus cum lacte, hominibus sensibilioribus cum guttis v vel x tincturae opii. Stark arsenicum imprimis carcinomati labiorum, nasi et fauci mederi comperit. Wenzel solutione Fowleri uteri scirrhum non ex toto quidem sanavit, attamen levamen attulit et dolores depulit. Recentiori tempore talibus in exemplis arsenicum jodatum, quandoque meliori cum fructu, adhibitum est. Hellmund carcinoma cutaneum unguento, proprium in modum parato, curavit et ad caritatis nosocomion Berolinense arcessitus, laetissimos eventus obtinuit. Methodum ejus Betschler, Hufeland et Marcinkowski cum eodem fructū secuti sunt.

Unguentum Hellmundi

Rcp. Pulv. cosmici ʒj
Ungt. narcot. balsam. ℥j
MDS. Unguentum.

Pulvis cosmicus.

Rcp. Arsenici albi ℈jj
Cin. solear. vetust. gr. xjj
Sanguin. dracon. gr. xvj
Zinnabar. arte praep. ʒjj
MDS. Pulvis cosmicus.

Unguentum narcotico balsamicum.

Rcp. Balsam. peruv. nigr. ℥β
Extr. conii ℥β
Plumb. acetic. crystallist. ℈jv
Tinct. opii crocat. ℈jj
Unguent. cerae ℥jv
MDS. Unguent. nar. bal.

3. Morbi cutis chronici. In malignis eorum formis ut, herpete exedente-carcinomatoso, faciem imprimis adgrediente, in lepra, elephantiasi, ichthyosi, internus solutionis Fowleri usus sexcenties saluberrimis exstitit. Otto (Philadelph. med. museum 1804.

V. 1. p. 47). Philadelphiae exanthema herpeticum malignum faciei, quod fortissimis remediis restiterat, solutione Fowleri sanavit. Foderé (Journ. de med. 1807. T. XIII Fevr.) pluribus observationibus de magna arsenici utilitate in morbis cutaneis sibi persuasit. Contra lepram arsenicum jamdudum praebebatur; in India etiamnum contra lepram ibi frequentem et quidem forma pilularum asiaticarum, quibus etiam Parisienses medici ut Biett utuntur administrari dicitur.

Rcp. Arsenici albi gr. LV
Piper. nigr. ℥jx
terrentur paulatim per IV dies
pulver. subtil. tritum. in mortor. marmor.
misce cum aqua et gummi arab. quantitate
suff. ut fiat massa ad 800 pil. serv. in vitro.
(pillula una = $^1/_{16}$ arsenic.)

Princeps Bietti remedium contra malignos cutis morbos auctore Casper (Character. d. franz. med. p. 104.) hoc est: Arsenici pars una partibus quatuor acidi nitrici et parte dimidia acidi hydrochlorati solvitur, solutio ammoniaco carbonico saturatur et sal arsenicosum ad crystallisationem adigitur. Granum unum hujus salis in aquae desillatae uncia una solvitur, pauxillum spiritus lavandulae additur et guttae xx—xxv hujus solutionis quotidie usque ad drachmam unam praebentur, ita ut grani $^1/_8$ arsenici sumatur. Casper plures affert casus, in quibus hoc praeparatum contra morbos herpeticos pertinacissimos egregio cum successu praebebatur et Biett ipse exemplum urticariae ulcerosae, cum scabie complicatae et typum intermittentem habentis memorat, cujus sanatio perfecta impetrabatur. Dupuytren (Ratiers Formulaire pratique des hospitaux

civiles de Paris 1825) contra destructiva cutis exanthemata uti dicitur pulvere ex partibus 199 Calomelanos et parte una arsenici. Biett connubium arsenici cum kali, natro, ferro, cupro, cum hoc autem rarissime propter vim maxime causticam, in usum vocat et initio usque ad grani 1/16 per diem exhibit, nunquam dosin gr. 1/8 excessit. Arsenici praeparata praecipue impetigini figuratae et eczemati generali optime mederi tradit. Idem affirmat, etiamsi arsenicum aeque ac alia remedia in morbis cutaneis non semper prosit, minime tamen ita metuendum esse, ut nonnulli contendunt, inprimis quod sequelas pertineat; interdum enim arsenici usum per annum unum, duos, tres sine ullo damno continuavit. Exemplum affert puellae, quae eczemate chronico laborans per triennium brevibus cum intervallis sumserit arsenicum et tunc demum valetudinem recuperaverit. Duffin Edinburgensis (the Lond. med. and surg. Journ. etc. Jan. Apr. 1826 No. 86.) contra lepram psoricam in Scotia frequentem, solutionem Fowleri cum decocto dulcamarae, mezerei aut sarsaparillae comendat. Heinsberg (Archiv. f. med. Erfahr. v. Horn etc. 1828. Sept. October. p. 782.) solutionem Fowleri potentissimum dicit remedium, quod directe in cutem agat, tonum ejus augeat vel secretiones corrigat, quam ob rem diversissima exanthemata, ut pruriginem, lepram, psoriasin pityriasin, impetiginem, porriginem, scabiem, herpetem, sycosin, hoc tantum modo curat. In Borussia orientali, praecipue circa maris littora, haud raro herpes faciei exedens vere

carcinomatosus occurrit, qui celeriter partes profundiores, immo ossa adgreditur, febri hectica tandem occidit et rudimentum leprae vetustae esse videtur. Qui si, in magnum aegroti detrimentum, syphiliticus existimatur et mercurio curatur, omnia in pejus abeunt. Contra hoc malum Richter Regiomontanus solutionem arsenicalem Heimii saepe saluberrimam expertus est.

4. Morbi arthritici et rheumatici inveterati. Multi ut Hardmann (Med. and. chir. review V. XII. p. 65.) solutionem Fowleri cum chinae decocto contra rheumatismum pertinacem egregio cum successu praebuerunt. Hoffmann Ischiadem periodicam vehementem doloresque capitis periodicos, Rellié nodos arthriticos dolorificos eodem remedio resolverunt. Lalaurie (Froriep's Notiz. Bd. III No. 21. p. 331. Journ. complem. du diction. du scien. médical. 1822 Juin. p. 327.) memorabilem et vehementem prosopalgiam cum amaurosi junctam descripsit qua pilulis arsenicalibus depellebatur.

5. Morbi nervosi. Non eadem laus his in morbis quam in supra dictis tribuenda est arsenico, nam omnibus in casibus, in quibus hoc remedium salutarem praestitit effectum, morbi magis deuteropathici videbantur, aut revera erant. Prosperos effectus arsenici in epilepsiis commemorarunt Alexander (Duncans. med. Coment. 1791. Dec. II. V. No. 2. item Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte Bd. 14. p. 433), Masius Hufeland Journ. Bd. 36 St. 3. p. 43), Harless (de usu arsenici p. 323), in omnibus autem casibus, quan-

tum ex morbi historiis judicare licet, causae dyscraticae adfuisse videntur, quibus sublatis etiam nervosa symptomata cesserant, semper autem redierunt, si vel causae non plane exstinctae vel reversae erant. Ipsa Chorea, praesertim hominum juniorum, ubi vermes intestinales certo suspicari licebat, solutione Fowleri auferebatur, simulat vermes expellebantur. In tussi convulsiva medici anglici Simmons et Ferriar, Americanus Klapp arsenicum cum successu dederunt. Contra asthma spasticum jam a prioribus medicis arsenicum, sed modo vaporum forma, adhibebatur et Alexander plures casus tali modo sanatos, affert. Contra Melancholiam teste Ackermann (Baldingers neues Magaz. f. Aerzte. Bd. III St. 5) chirurgus quidam saepius magnos arsenici doses prosperrimo cum eventu praescripsisse dicitur. In Prosopalgia et Cephalalgia Hoffmann secundum Harless (de usu arsenici p. 331) apud virum quadragenarium, longum per tempus Cephalalgia vehementissima vexatum, quae usque ad deliria increverat, omnibus aliis remediis frustra adhibitis, tandem solutione Fowleri cum infuso Valerianae et Calami utebatur, optimoque gaudebat effectu. Alexander (Froriep's Notiz Bd. XXI No. 7. pag. 112) virum triginta et quinque annorum, qui a prima juventute Cephalalgia vehementissima, ex pluribus annis magis magisque ingravescente et modo prius modo serius post levissimum vitium diaeteticum redeunte, solutione Fowleri in integrum restituit. Prosopalgiae casum, in quo arsenicum saluberrimum se praestitit, enarravit

Hill (Edinb. med. and surg. Journ. April 1822 p. 241. Samml. ausserl. Abhandl. z. Gebr. f. prakt. Aerzt. Bd. S. 205. Gerson u. Julius Magaz. Bd. III p. 438). Morbus apud mulierem ab anno vitae quinquagesimo ad septuagesimum continuo persistiterat varioque modo frustra impugnatus fuerat. Tandem Hill solutionis Fowleri guttas initio tres dedit dosinque ad duodecim adauxit. Quum ad novem guttas dosis evecta esset, status melior et mense ellapso tam faustus erat, ut dosis minueretur. Post aliquot hebdomades malum quamquam leviori gradu rediit, sed repetito solutionis illius usu non modo depellabatur, sed etiam plane exstinguebatur. Exemplum notatu dignum Lalaurie enarrat cujus supra inter affectiones rheumaticas mentionem fecimus. Contra Prosopalgiam arsenicum recentiori tempore primum a Selle commendatum est. Schoenlein in Prosopalgia pilulas e Kali arsenicoso (initio grani 1/32) maximo cum fructu praebuit. Schauer etiam et Romberg multas Prosopalgias graviores hoc remedio sustulerunt; Romberg bis aut ter quotidie guttas 3—10 auctis dosibus porrigit. Vogt (Pharmakodynam. 2. Aufl. Bd. I p. 550.) generatim in neuralgiis speciatim in cardialgia habituali arsenici effectus non minus celleres quum certos et constantes se observasse refert; adjunxit tamen Belladonam.

6. Syphilis. Contra hanc in Europa primum a Davide de Planiscamy arsenicum adhibebatur, quamquam in Oriente pilulae asiaticae supra memoratae jamdudum contra ignem persicum, qui nihil est nisi

Syphilis, praescribi solebat. Quum oblivioni ferre traditum esset, ineunte hoc saeculo in Gallia et Germania iterum in lucem protrahebatur. Vogel Parisiis solutionem arsenicalem cum acido tartarico ana, guttatim datam, egregie opitulari vidit, id quod Remer (Horn's Archiv f. med. Erfahr. 1812. Jan. Juni p. 189) confirmavit. Dolores ossium syphiliticos hoc remedium saepe post 24 horas sublevavit et casus pertinacissimos superavit, qui mercurio sublimato sanari non potuerant. Hagstöm (Hufeland's Journ. Bd. XXXIII St. 1. p. 114) ulcera syphilitica tenacissima interno et externo arsenici usu vidit sanata, quae tamen seposito medicamento recrudescebant. Jahn arsenicum contra mala syphilitica complicata multo cum levamine arsenicum praebuit, generatim tamen contendere possumus, effectus ejus in hoc morborum genere minus esse salutares quam in antecedentibus.

CASUS NONNULLI IN POLICLINICO PROFESSORIS ROMBERG ARSENICO CURATI.

1. Intermittens.

A. Johannes Matzke 46 annos natus, ex quatuor mensibus, praegresso perfrigerio, intermittente quartana pertinace laborabat, quae Chinino sulfurico cum Belladona aufferri non potuerat. Proinde diebus apyreticis solutio Fowleri, nempe guttae quatuor quater per diem imperabantur, quae febrem radicitus sustulerunt.

B. Poest, mulier 30 annorum, ante novem heb-

domades in febrem intermittentem quotidianam inciderat, quae post septem hebdomades in tertianam transierat. Quum domesticis tantum remediis usa esset, quibus febris non depellebatur, magna lienis et hepatis intumescentia accessit, qua re aegrota saporem acido amarum accusavit, colorem corporis cereo-flavidum et extremitatum inferiorum oedemata obtulit. Ter per diem guttae sex solutionis Fowleri et febri sublata ferri praeparata praescribebantur, quo facto omnia symptomata morbosa evannerunt.

2. **Morbi acutis chronici:**

A. Psoriasis gyrata. Benedictus Baer sex et quinquaginta annos natus, per septem et viginti annos hoc morbo laboravit, cujus causa incognita fuit. Quaecunque remedia frustra in usum vocata erant. Exanthema in fronte ordiens paulatim fere per totum corpus dimanavit. Solutionis Fowleri tres guttae ter per diem imperabantur. Quum post undecim dies nulla mutatio praeter pruritum inimicum in locis adeo integris animadverteretur, balnea tepida et solutionis Fowleri guttae sex pro dosi adhibebantur, quo facto post quartam hebdomadem leviora veneficii signa apparuerunt, quamobrem solutio seponebatur, balnea continuebantur, donec veneficii signa cesserant. Post sextum decimum diem Exanthema alterutrius humeri evanuerat, tussis catarrhalis accesserat et Psoriasis in locis antea sanis emerserat. Solutionis guttae octo praebebantur et post tres hebdomades sine ulla mutatione veneficii signa cum alvi obstipatione redibant, quapro-

pter aqua picis interne et externe administrabatur. Decem per menses curatio intercipiebatur, tum autem solutionis guttae sex pro dosi per trimestre continuum praebebantur, quo facto exanthema prorsus evanuit.

Psoriasis diffusa. Fridericus Gross quadraginta annorum, ante quadriennium in facie dorsali antibrachiorum observavit exanthema, quod per aliquot menses increvit et cujus causam pulveri adscribit, qui inter labores nuda brachia tetigerit. Consumta prima solutionis Fowleri portione, guttis nempe quinque ter per diem. valetudo melior, defurfuraceo multo minor fuit; altera solutionis portio perfectam reduxit valetudinem.

Psoriasis diffusa et guttata. Fridericus Jacobi quatuor et quinquaginta annorum, per sexennium psoriasi superiorum extremitatum, femorum, scroti, ani et dorsi laboravit. Initio vesiculae in ore exstiterunt, etiamnum interdum apparentes, tum exanthema primum in regione vaera effloruit. Reliqua valetudo integra fuit, syphilis nunquam adfuerat; multa remedia sine fructu erant adhibita. Solutionis Fowleri guttae decem ter per diem praebebantur, quibus per dies quatuordecim continuatis exanthema cessit.

Psoriasis diffusa et guttata. Bolle octo et viginti annos natus per hebdomades sex maculis aliquot utriusque cruris aegrotavit, in dextro antibrachio squamae admodum crasse exstant. Guttae solutionis Fowleri quatuor ter per diem repetitis vicibus porrigebantur, quae exanthema depellarunt.

Psoriasis guttata. Albertine Leschinsky duodeviginti annorum, per semestre psoriasi antibrachiorum et crurum laboravit. Ante catameniorum introitum maculae rubicundiores reddebantur et pruritum movebant, post fluxum pallescebant. Primum aqua picis, quae his in casibus saepe auxilium praestiterat imperabatur et bis per diem cucullus (unciae sex per diem) praebebantur. Quum vero nullus obtineretur effectus, ad solutionem Fowleri confugiebatur, quae brevi tempore valetudinem restituit.

B. Eczema chronicum. Arminius Rüger sedecim annos natus, ex quadrimestri eczemate artuum inferiorum laboravit, ceterum sanus fuit. Solutionis Fowleri guttae quatuor ter per diem datae intra duos menses morbum sustulerunt.

Eczema chronicum rubrum. Emma Fischer sexaginta sex annorum hoc eczemate laboravit, quod humeros et pectus tenuit. Solitae doses solutionis Fowleri aegrotam morbo liberabant.

Eczema chronicum impetiginosum, quod infantis antibrachium dextrum occupabat, solutione Fowleri depellebatur.

Eczema chronicum. Carolus Hempel duodecim annos natus jam per decennium laboravit, exanthema dextrum crus tenuit. Solutio Fowleri eodem cum successu adhibebatur.

C. Lichen chronicus. Paulina George duorum et viginti annorum, exanthema papulosum in dorso manus dextrae aliisque locis jam per triennium accu-

savit, causam originis ignoravit. Larga magnesiae sulfuricae dosi per unum duosve dies exanthema evanuit. Imperabatur solutionis Fowleri drachma una cum aquae destillatae drachmis duabus, ter per diem guttae duodecim summendus. Valetudo post quartam hebdomadem rediit.

D. Acne indurata. Guilelmus Hoffmann duos et triginta annos natus, ex quadrigennio aegrotans, prius ejusmodi nudis per intervalla laboravit, qui sponte tamen evanuerunt; syphilidem nunquam passus erat. Solutionis Fowleri et aquae destillatae ana drachma una bis consumta, morbus auffugit.

E. Impetigo faciei. Ludovica Weiss unum et viginti annos nata in fronte et genis ostendit crustas succinosas cum pustulis sparsis turgentibus; ante quatuordecim dies morbus eruperat. Per periodos exanthema inde ab anno vitae decimo tantum hibernis mensibus, frequentissime ab Octobri ad Januarium indeque usque ad vernale tempus emergit, cutem rubram fissam relinquit et luna increscente augetur. Catamenia tempestive accesserunt et fluxum regularem servant. A primo die Novembris usque ad decimum septimum ter per diem guttae quatuor solutionis Fowleri porrigebantur, quibus exanthema quidem cessit, post quatuor autem hebdomades rediit. Ante exanthematis eruptionem capitis dolores oriuntur et post eruptionem evanescunt. Repetebatur solutio Fowleri et ter per diem guttae praebebantur octo. Post quatriduum efflorescentia largior facta erat, sed post quatuordecim dies, con-

tinuata solutione F o w l e r i, evanuit. Subsequente hieme non revertit.

I m p e t i g o. G r ü t z m a c h e r, mulier triginta annorum, ante breve tempus exanthema in dorso et dextro humero animadverterat, sed jam ante biennium simili efflorescentia laboraverat. Priori tempore rheumaticis affectionibus admodum vexabatur, quae post exanthematis eruptionem finiebantur. Initio solutionis F o w l e r i quatuor guttae ter per diem offerebantur, quo facto crustae extrudebantur et planities rubrae apparebant. Imperata secunda solutionis portione et guttis 8—10 pro dosi exhibitis, morbus sanabatur.

3. M o r b i n e r v o s i.

C h o r e a. L u d o v i c a K a h l b a u m triginta annorum a tertio vitae anno chorea aegrotabat et quidem totum corporis et faciei latus sinistrum, dextrum latus integrum est; simul Intermittens tertiana ex brevi tempore locum habuit. Sublata Intermittente per Chininum sulfuricum, contra morbum principem solutio F o w l e r i guttae quatuor ter per diem porrigebatur et Choreae symptomata ex toto profligebantur.

VITA.

Natus sum Franciscus Antoniewicz A. hujus saeculi vicesimo die 5to mensis Aprilis Posnaniae, patre Petro Simone, quem mihi morte ereptum jam prima a pueritia lugeo, matre Christina e gente Piglowska quam adhuc vivam pio gratoque veneror animo. Fidei addictus sum catholicae.

Literarum elementis eruditus, gymnasia primum Posnaniense sub auspiciis Celeb. Stoc, tum Culmense, sub auspiciis Celeberrimi Richter frequentavi, quod alterum maturitatis testimonio anno h. s. XLII instructus reliqui et ad universitatem literarum Vratislaviensem me contuli, ubi ab Ill. Benedict, penes quem t. t. fasces erant academici, civibus universitatis adscriptus apud Ill. Fischer gratiosi t. t. phil. ord. Decanum nomen rite sum professus.

Anno sequenti susceptum studium reliqui et ad facultatem medicam, cujus Decanus t. t. Ill. Purkinje fuit, transii. Anno XLIX Berolinum petii ubi ab Ill. rectore magnifico Nitsch in numerum civium, ab Ill. Ehrenberg t. t. Decano, in numerum medicinae studiosorum receptus collegia frequentavi.

VRATISAVIAE HIS INTERFUI COLLEGIIS.

Ill. Fischer de chemia experimentali, Ill. de Glocker de oryctognosi generali et speciali, Ill. Thilo de logice, Ill. Branis de psychologia, Ill. Gravenhorst de zoologia universa, Ill. Nees ab Esenbeck de botanice generali, Beat. Pohl de physice experimentali, nec non de electro-magnetismo, Beat. Otto de anatome corporis humani, de anatome comparata, de historia foetus, de sectionibus forensibus rite instituendis, Ill. Purkinje de physiologia hominis, Ill. Henschel de pathologia generali et speciali, Cel. Duflos de chemia pharmaceutica, Ill. Klose de therapia generali, materia medica et de encyclopaedia

medicinae, Cel. Remer de morbis syphiliticis, Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis et instrumentis rite applicandis, Ill. Goeppert de arte formulas medicas rite concinnandi, Ill. Betschler de arte obstetricia.

BEROLINI.

Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali, Exp. Shoeller de arte obstetricia, nec non de operationibus obstetriciis in phantomate institutis, Exper. Ebert de morbis infantum. Clinica medica frequentavi Ill. Wolff, Ill. Romberg, Clinica chirurgica Ill. Juengken, Policlinicum medico-chirurgicum Cel. Troschel, Clinicum syphiliticum Exper. Simon, Clinicum obstetricium Ill. Busch. Denique Cel. Boehm operationes chirurgicas in corporibus mortuis instituendas me docuit.

Quibus viris omnibus Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis optime de me meritis quas possum maximas gratias ago semperque habebo.

Spero denique fore, ut tentaminibus et examine rigoroso coram Gratioso medicorum ordine absolutis summi medicinae et chirurgiae honores mihi concedantur.

THESES.

1. Medico sunt intoxicationes, venena nulla.
2. Nunquam morbus, sed aeger curandus.
3. Acaros exulcerantes scabiei causam proximam non esse arbitror.
4. Confidentia aegroti, qua medicus perfruitur, saepissime plus valet, quam remedia efficacissima.
5. Nullus morbus sic dictus psychicus exstat, nisi originem suam ex mutatione materiali cerebri et nervorum duxerit.
6. Graviditatem abdominalem nego.